ΕΠΙΘΑΛΑΜΙΟΝ

PRAECLARIS CONIVGIBVS


DOMINO IOANNI

BARONI CARTERET DE HAWNES

ET DOMINAE

SOPHIAE FARMOR

DEDICATVM.



FLORENTIAE. ANNO. CIϽ. IϽ. CC. XXXXIV.
IN TYPOGRAPHIO PAPERINIANO EXCVSVM.

PRAESIDVM PERMISSV.

HONORATISSIMO . VIRO

DOMINO . IOANNI

BARONI . CARTERET

DE . HAWNES

MAGNAE . BRITANNIAE . PARI

GEORGII . II. BRITANNIARVM . REGIS

A . SANCTIORIBVS . CONSILIIS

ET . IMPERII . SECRETIS

CONIVGIQVE. EIVS . OPTVMAE

DOMINAE

SOPHIAE . FARMOR

OBSEQVII . MONIMENTVM.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

CARMEN NVPTIALE

AVCTORE

ANGELO MARIA BANDINIO FLORENTINO.

ARGVMENTVM.

OCEANI ſcopulo innixus ſecum ipſe Cupido
Multa gemens, ſortemque animo conqueſtus iniquam,
Forte duos caelo deſcendere cernit Amores,

Laudibus atque ſuos certatim efferre triumphos;
Quum poſito maerore, leves ſublatus in auras,
Illis ſe iunxit comitem, Veneremque petivit.
Aſt illa adciri iubet omni e litore Nymphas,
Vt nova concelebrent denſo CONNVBIA *coetu.*
Nec mora: veſper adeſt, Thalamos incedit uterque:
Sollemnes tamdem pompas Hymenaeus adimplet.



ΕΠΙΘΑ-

ΕΠΙΘΑΛΑΜΙΟΝ.

CADMEAS alii pugnas, durique labores
Herculis immanes, Agamemnoniasque phalanges
Et Troiam, Martemque canant, laurosque cruentas:
At mihi felices Animarum promere amores
Mens calet, & gemino constrictum pectore nodum:
Solus Amor nostrae inspiret modo carmina menti,
Nostraque sinceros moduletur Pieris ignes.
Incluta, quam Fortuna iuvat, FARMORIA VIRGO,
Musarum parvos, ne despice, quos tibi fetus
Offerimus, SPONSOQUE humiles addicimus almo.
Est ventura dies olim, qua Musa fluenteis

Ingenio venas tribuet numeroſque canoros,
Queis liceat graviore tuas expromere verſu
Laudes, & diris ſubducere nomina fatis,
Nomina, quae aeterni ſpernent oblivia leti.
Interea felix noſtris nunc adnue coeptis,
Vt nos, qui tantum tenues cecinisse labores
Exiguo adſueti calamo, ſublimia tamdem
Paullatim egregiis aptemus carmina geſtis:
Non ſecus atque puer, qui primum innare per undas
Non audet ſolus, levibus poſt tergora nixus
Corticibus, nando trepidantes inſtruit artus;
Adſiduus donec piſces imitarier uſus
Edocet, ut pulſis tumidum ſe immittat in aequor
Fulcris, & rapidis inſultet fluctibus audax.



Vix Aurora polo niveis invecta quadrigis
Surgebat, tenuique micabant gramina rore,
Nativumque arbor, pulsa jam nocte, colorem
Luminibus paſſim ſolaribus excipiebat;
Quum celebris vaſto qua funditur ANGLIA ponto,
ANGLIA, quae doctos fecundo alit ubere Alumnos,
Talia maerenti iactabat voce Cupido,
(At non laſciva prognatus Matre Cupido,
Adſuetuſque animos inhoneſtis figere telis;
Verum caſtus Amor, ſinceraque & inclyta proles,
Cui fidas Heroum animas, ac pectora fas eſt
Coniugii vinclis adſtringere non ſolvendis,)
Quod non ſubiiceret validis generoſa Virorum
Pectora miſſilibus, minimeque referret opimas,
Vt quondam, exſuvias, quarum viget inmortalis
Gloria, & innumero celebratur carmine Vatum.

O utinam, quae fama diu praenunciat orbi,
Vera forent, atque illa albo ſignanda lapillo,

Pro-

Propitio tamdem lux sidere colluceret,
Exoptata diu referens mortalibus aegris
Gaudia! Nunc spoliis Mars undique circumseptus
Heu furit: extremae gentes & barbarus hostis
Convertere rigens in mutua vulnera ferrum;
Quosque peregrini dominos concordia mundi
Fecit, in ambiguam regno de paupere litem
Compulit infaustae genetrix Discordia pugnae:
Hic urbes animi fervor subcendit Achaeas,
Attica cum diro cecidit Lacedaemone tellus,
Quumque in Spartanos iret Thesea propago,
Et deturbatis titubaret Graecia rebus:
Quin etiam similem video inpendere ruinam
Italiae; magis atque magis nam proelia crescunt,
Qua sonat angustus Scyllae sinus atque Charybdis,
Quaque Syracosio protenditur Insula ponto,
Insula Cyclopum, Libyae porrecta sub axem.
Me miserum! Inficiunt campos, & cuncta veneno
Flumina: ceu Libyca interdum maculosus arena
Post hiemem coluber longo male gramine pasta
Excutiens membra, ac senio & squalentibus annis
Exsutus, calido convolvit lubrica Soli

Terga

Terga, tribusque micans linguis atque ore, per agros
Letiferum fundit, perque avia rura venenum.
Quorum ego maternis infligere corda sagittis
Heu potero! quique ipse meum super ardua regnum
Sidera, caelestesque domos, inmensaque mundi
Pondera protendo, ignota nunc turpis arena
Cogor, & exsternis contemtus degere in oris!
Haec memorans, toto proiectus corpore se se
Volvit humi, & miserum scopulo caput inclinavit.
Quid faciat, quo vertat iter, quid denique captet
Consilii, nescit: veluti si forte viarum
Quis rudis interdum deserta in compita venit,
Tunc incertus iter defixsa examinat hasta:
Aut qualis proles Hyrcani parva leonis
Haeret, ubi hostili confixsum vulnere patrem
Conspicit, an rigidos venantis sanguine vultus
Imbuat, an celeri praestet confidere cursu:
Hinc timor, hinc illam pietas agit, & sibi tamdem
Dum nocet, haud potis est vitam servare parenti:
Sic Pueri subcensa tument praecordia, & oestro
Mens agitata gravi, curarum fluctuat aestu.
Languebat myrtus, languebat bacca, rosaeque,

Queis

Queis nitidum caput alma Venus praecinxerat olim,
Exſtinctaeque faces, ac tela iugalia paſſim
Ante pedes effuſa Dei ſine honore iacebant.
At circumſpiciens Vrbem, quam Thameſis unda
Abluit, & cultos late diſterminat agros,
Quaeque ſub imperio Regis terraque marique
Inſignis, magniſque opibus, partiſque tropaeis
Dirigitur, poſitis componit pectora curis;
Namque videt celeres volitare per aëra Amores,
Et gemini innocuas cordis praedicere flammas,
Quorum alii incendunt taedas, aliique corollas
Floribus intexunt variis, & praepete curſu
Nunc huc, nunc illuc, quo fert ſua quemque voluptas
Circumeunt, variaſque exſuto corpore formas
Adcipiunt: quales adverſo Sole columbae
Dum ſe conſpiciunt, varios, varioſque colores
Inradiante trahunt penna, ſeſeque venuſtas
Humanis praebent oculis, falluntque videntes.
Aſt alios inter, geminos ex ordine primo
Praepetibus librare nitentia corpora pennis
Nobilium Genios animarum cernit ovantes,
Certanteſque ſimul parto poſt longa triumpho

Tem-

Tempora; deinde faces inter se aequare coruscas,
Quae subito ex animis illustribus emicuere.

Virginis in casto posui cunabula corde,
Aiebat primus, quum vix in luminis auras
Prodiit aetherias: regali sanguine venas
Implevi, series ex quo numerosa nepotum
Crescet, materies venturis ampla Poëtis.
Primos quin etiam vagitus ipse recepi,
Atque interruptas potui distinguere voces,
Quae post magna quidem sunt, ac praeclara loquutae.
Mobilis haud olli, primis quum cresceret annis,
Mens fuit, aut subito instabiles sub pectore motus;
Ast animum illius praestans atque ora, decoro
Pondere firmabat gravitas: non maesta, nec atrum
Torva supercilium, tumidis non aspera dictis,
Sed clara, & miti facies condita lepore.
Dein validas posuit Virtus non ficta sub imo
Pectore radices, procul omni sorde fugata;
Vnde inconcussum firmato robore pectus
Fortunae quascumque minas, quoscumque labores,
Aerumnasque pati solet, atque obsistere fato:
Non secus ac rapidis pelagi quae tunditur undis,

Dura silex, inmota manet: non inrequieta
Aequora, non ventos, tempestatesque sonoras
Horret; quoque magis premitur, fit laevior aestu.
Non humana quidem species, sed caelicus olli
Vultus inest, quamvis ipsum concedere par est
Muneribus, queis se decoratam iure fatetur,
Et gaudet. Quid enim manuum ingeniosa suarum
Nunc opera, aut quam diverso sermone latentes
Declaret sensus, repetam? quî ad plectra choreas
In numerum ducat, seseque per aëra verset,
Subpositasque celer vix dum pede lambat arenas?
Vtque etiam altisono suras evincta cothurno
Adfectus hominum varios imitetur & actus?
Talia sed ludens didicit, maiora profecto
Per memet iactare potest; namque omnia ludis
Ipsa meis, orbisque marisque incognita vasti
Nomina, diversosque situs, geniumque, vicesque
Astrorum Solisque vias, Lunaeque labores,
Et varios casus populorum, fataque regum
Plurima divino percepit acumine mentis.
Quin & Graiorum quicquid mendacia narrant
Tempora, distincte ostendi, Romaeque triumphos,

Et

Et quantum Latii fuderunt arma cruoris
Punica, quot bellis rubuit navalibus aequor:
Quique duces Troiam bello obſedere decenni,
Queis & Memnonios populos, Parthoſque catervis
Dux Macedo ſubiecit, Achaemeniaſque phalanges;
Monſtra quot Alcides domuit, quibus aethera pennis
Tranavit, gelidaſque advenit Daedalus Arctos:
Hippolyti caſtos, & Bellerophontis amores,
Inluſtreſque Helenae raptus, & Phyllidis ignes,
Pomaque Cydippes, & iniquis Orithyam
Sublatam ventis, Clymenenque, piumque fidelis
Pectus Hypermneſtrae, Cinyramque Hellenque paventem.
Quicquid in his minime juſtum, tumidumque, procaxque
Arguit, & quicquid rectum, atque imitabile ſentit,
Sponte ſua ſequitur, perque omnia nocte, dieque
Excurrit vigilans: quales aeſtate ſerena
Per campos celeri, per florida prata volatu
Exercentur apes, croceoſque e flore liquores,
Caeleſtemque legunt rorem, & ſiccata relinquunt
Gramina. Queis tantum reliquas ſupereminet omnes
Muneribus, quantum lapides carbunculus inter,
Et rutilas minimo gemmas candore renidet,

 Dives

Dives arenoſo qua tinguitur India Gange:
Qualia ſive humiles inter pineta myricas
Extollunt ſublime caput, ramoſque comantes
Pelion Aemonios ubi longe deſpicit agros.
Quot vero mores populorum viſit, & urbes,
Me duce? vera mihi FLORENTIA teſtis adeſto,
Ipſam cui propriis in ſedibus adſpexiſſe
Contigit, in laribuſque tuis audiſſe loquentem:
Clara ubi virtutum permanſit fama ſuarum,
Sinceroque omnes teſtantur pectore, quondam
Queis licuit dotes animi ſpectare ſuperbas.
Hanc igitur ſolam paſſus non degere vitam
Iamdudum ipſe Viro ſtatui coniungere, geſtis,
Et celebri virtute Viro; tum commoda nactus
Tempora, promeritum magni cum Principis ortu
Redderet officium, claro de ſanguine natis
Miſtus uterque viris, ambos ſimul occurrentes
Dulcibus infixi telis, flammiſque peruſſi;
Cum ſubito dulci VIRGO famulatur Amori,
Fitque, volente Deo, ſenſim formoſior, atque
Concita amore canit, loquiturque & gaudet amore,
Adſidueque oculos in vultum figit Amantis:

Tigris

Tigris ita Armeniis peragrans in montibus, ira
Commota, & leto cupiens abducere fetus
Consistit, vitro pectus subcensa micanti,
Quod sollers medio venator tramite liquit;
Fixis illa oculis nitidum spectans cryſtallum
Non alio mentem insolito correpta nitore
Avertit: celer interea venator amatos
Eripit heu catulos, nec tigridis ultio terret.
Quare ego, me comitum densa stipante caterva,
Ad Venerem tendam, & felix praenuncius olli
Egregios referam casus, partumque triumphum.
Haec ait: at Genius praeclari Conivgis alter
Illius attentis verba auribus exaudivit,
Et tremulo alarum motu super aëra sistens,
Hunc contra aequali sic est sermone loquutus.

Cartereto ipse etiam, ut magnae Genetricis ab alvo
Prodiit, uno eodemque comes sum tempore natus.
Illum ego consilio nutrivi, sanguine mater,
Ipsius in nobis dicta adspice, magnanimamque
Naturam, heroosque actus: tecum inde loquentem
Si me audis, ego lingua quidem, vox ille, sonusque;
Est sonus extremas penetrans formidine terras,

In-

Inſtantemque necem ſpernens, fortiſque rigorem:
Namque hominem veluti timidum mens conſcia culpae
Efficit, haud aliter probitas, & cognita Virtus
Inpavidum reddit pectus: fugit impius ultro,
Iudiciumque timet, frontem pius audet apertam
Promere: non regis vultum, non iudicis ora,
Non rigidos lictorum enſes formidat, ut aurum
Haud metuit flammas, validi nec verbera ferri
Dura adamas, namque ipſa ſibi eſt arx ardua Virtus;
Quin etiam hoſtiles interrita diruit arces;
Ipſa feras, hominemque domat, non horret inermis
Ire per armatas non devincenda phalanges:
Hoc exſterna docent, veterumque exempla Quiritum,
Quae faciant exempla fidem. Cur Scaevola dextram
Miſit in ardentes prunas, & brachia flammis
Exurenda dedit, ſaevum exſuperans tormentum?
Cur innavit aquas, Tyberinaque flumina virgo,
Cui populus ſtatuam poſuit Romanus equeſtrem,
Cloelia? quo clupeo Tuſcum, quibus enſibus hoſtem
Vicit? ei telumque fuit, loricaque Virtus.
Nec repetam a puero dotes animi inmortales,
Ingeniumque ſagax, varios quo ſedulus uſus

Lin-

Linguarum, & Tuſcam didicit maiore loquelam
Conatu, ut vel Flora tuis contendat Alumnis.

At quoniam novit, nihilum mera verba valere
Ni ſtudio doctas addiſcat protinus artes:
Hinc quaerit vigili mentis curaque, laboreque,
Vnde ſuum inmenſi duxere errantia mundi
Sidera principium: vel qua ratione tumenti
Circumſepta mari tellus concreverit: unde
Tam varias rerum peperit natura figuras,
Vmbriferam alituum ſedem, ſilvaſque comantes,
Arboreos fetus, fruges, dulceſque liquores.
Vnde etiam occulti fuerint auri, atque argenti,
Et chalybum, ſolidique aeris defoſſa metalla:
Ex quo diverſae facies pecudumque, volucrumque
Eductae, omnigenumque ſimul tot monſtra natantum:
Vnde etiam tanto humanum ſit corpus honore
Praeditum, & aetheriae ditatum munere mentis.
Hinc eſt, quod ſolus non parva negotia ſemper,
Gentium & innumeras res ſubſtinet exſternarum.
At, nec vana loquor, primum eſt Hibernia teſtis,
Praeſide quae tanto quondam ſecura vigebat
Imperio: verum ampla tuas nunc, Anglia, habenas
Diri-

Dirigit. At tales demens quid promere tento
Laudes, dum nequeam divino texere verſu?
Quum laus magna ſuae fuerit placuiſſe SOPHIAE,
Cui non ulla domus, diuturni aut temporis aetas
Progenuit ſimilem forma, ac virtute Puellam.

Haec medio in gemitu, medioque furore CVPIDO
Audiit, attonitus ſublatis auribus adſtans:
Quum celer adſurgit ſcopulo, ac maerore fugato,
Sic ait: Ergo agite, o tamdem properemus ovantes
Ad matrem, ſocii, atque olli tam grata feramus
Nuntia, maternae gratiſſima nuntia menti.
Vix haec, quum ſubito ſindentes aethera pennis
Ardua conſcendunt caeli, Venerique dicatas
Idaliae ſedes; ſacroſque inviſere lucos
Aequatis properant alis: non qua Paphos alta,
Idaliumve nemus viget, aut qua murmure laeto
Stillat Acidalius late liquor: aſt ubi magnus
Volvitur adſidue vaſtum per inane Cometa,
Dulcia laetitiae mortalibus omina portans.

Hinc valeant quicumque graves haec ſigna labores
Bellaque, & effuſos nimbos portendere, & iras
Inſtantique volunt urbes terrere ruina;

Quis

Quis modo Ariſtoteli credat? quis Stoica demens
Dicta probet? qui iſtos uda e tellure vapores
Concretos, ſurſumque dehinc, terraeve calore
Ingenito, aut Phoebi radiis ſuper aëra vectos
Adfirmant? quis Anaxagoram, Epigenemque ſeverum,
Xenophanemque probet, falſa aut commenta ſequatur?
Quorum alter flammas ex aethere traiicientes,
Atque alter ſubcenſam e ſpiritibus diverſis
Congeriem terra admiſtam, & ſuper ardua latam;
Ille autem ignitis compactum nubibus eſſe,
Aut motum, elicitas vehementi hic Solis ab ictu
Scintillas retur: valeant quicumque duarum
Stellarum eſſe putant confuſum lumen in unum,
Quique in ſublimi, a ſublimi lumine, nubem
Illuſtratam aiunt, ac pro ratione figurae,
Qua induitur nubes, diverſos eſſe reflexus.
Haud hoc noſtra poteſt ſibi mens ſuadere, nec iſtis
Inventis ultro confidere; namque Cometes
Nil eſt, quam ſolida globus e tellure coactus:
Pulcra quidem regio, ac toto felicior orbe,
Ver ubi perpetuos terra parit ubere flores,
Atque leves efflant Zephyri, & iucundior aura

Arboreos ramos, & ſumma cacumina motat.
Quin & dulciſono crepitantes murmure rivi
Per ſilvas, & ſaxa fluunt, facilemque ſoporem
Leniter invitant, morbis hominumque profano
Non adeunda pede, at tantum loca cognita Nymphis:
Huc Venus, atque omnis feſtinat coetus Amorum
Interdum, flammas ſpernens, nimiumque calorem,
Quo ſic corripitur ſolari proximus igni,
Vt vomat ardentes radios, atraſque favillas.
Aligeri paſſim Pueri, quo quemque vocavit
Vmbra, iacent, fuſi huc illuc arcuſque pharetraeque
Emittunt veluti placidis ſuſpiria flammis:
Quorum pars ludo indulgent, pars frondea quaerunt
Tecta avium cupidi, partim per luſtra vagantur.
Hic igitur ſolido conſtructa palatia ſaxo
Adſurgunt, ſectiſque ſuperna e rupe columnis
Vaſta coronantur millenis atria; paſſim
Immanes aulae, flavo laqueata metallo
Tecta micant, trabibuſque inſertus fulgor eburnis,
Et purum in thalamis ardet radiantibus aurum:
Quin lapidum limbis circum cingentibus ordo
Parietibus ſpatiatus agit, fingitque reflexis

Orbi-

Orbibus innumeras non una lege figuras:
At non te variis discrimen agentia formis
Suspicere excelsi pigeat fastigia tecti,
Quod teretem efficiens conum extenuatur acuto
Culmine, & in speculam procurrens desinit altam.
Hic habitat nullis adstricta licentia vinclis,
Et non ardentes irae, vinoque madentes
Excubiae lacrumaeque, & dulcis pallor amantum,
Detectisque simul titubans audacia furtis.

Quo postquam introgressus Amor, comitante caterva,
Prospectat matrem, solio quae innixa corusco
Diversos animo casus volvebat Amantum;
Quam, festiva cohors, manibus per mutua nexis,
Atque aetate pari Charites utrinque coronant.

At natum vix illa suum procul adspicit, ultro
Exsilit e solio impatiens, occurrit eunti,
Ambrosioque sinu Puerum complexa nitentem
Quid tantum laetaris, ait? quae nuntia nobis;
Alme, refers, iterumne relicto cogis Olympo,
Sidonias inter vitulas mugire Tonantem?
Scit Paris, Aeneasque pius, scit durus Achilles,
Cuius adhuc retinent fatalem sidera praedam;

Sic Regina olim Babylonia, Pasiphaëque,
Sic Bacchi decepta parens, sic & Phaëtontis
Victa cupidineo mater quae languit igne.

Ille autem: laetare Parens, laetare, tropaeum
Retulimus, nostrum sensit CARTERETVS arcum,
Et SOPHIA. Eia igitur, socialibus adnue coeptis,
Iunge toros: tum Diva monenti talia nato
Gratatur, laeto simul haec sermone reponens:
Tune igitur tantis illum virtutibus auctum
CARTERETVM, formaque illam, vultusque decore,
Quae mecum posset merito certare, SOPHIAM,
Alme puer, validis potuisti infligere telis?
Haec memorans, natum gremio Cytherea removit.
Nec mora: palantes ad se compellat Amores,
Atque haec iussa dedit, Nymphas ut protinus omni
E regione vocent; quas nutrit maxuma tellus,
Et pater instabili complectitur aequore Nereus.

Vix haec, quum subito diversa plebe feruntur
Exploratores, dives qua Gallia sacros
Ostentat lucos, vallesque, & flumina, quaque
Tyrrheni, Venetique maris stagna ampla tumescunt,
Hadriacique sinus, non abdita limina Nymphis,

Qua

Qua fluit Alphei Siculis potandus in agris,
Eurotaeque liquor, qua ſe ad cava nubila tollit
Haemus, cuius apex niveis candoribus albens,
Illyricos ferme fluctus, Euxinaque cernit
Litora, quaque altis Chalydonem Aracynthus ab antris,
Et celerem curvis Acheloum deſpicit oris
Vſque pruinoſas Iſtri flaventis ad undas,
Threicioſque ſinus, Scythio qua fluctuat aeſtu
Boſporus, Europaeque Aſiam diſiungit ab oris;
Et qua curvatis Tethys Aegea fluentis
Ad Mityleneas arces, Lesbonque recurrit,
Et Tenedon, Priamique urbem, qua Xanthus ab altis
Deſcendens Phrygiae ſe condit vallibus Idae:
Et veteres adeunt Carrhas, ubi dicitur ortum
Augurium Lycii, Pontum, Hannibaliſque celebres
Bithynas tumulo terras, Lydoſque, vetuſtis
Vnde genus Tuſcis, fulvas qua volvit arenas
Divitibus Pactolus aquis: celeri iſta volatu
Litora percurrit Puerorum alata caterva.

Convenere omnes complentes aequora cantu.
Nereides ibi, Nereides, maris incluta vaſti
Numina, Neſaee, Meliteaque, Cymodoceque,

Glau-

Glauceque, Spioque, Ianiraque, pulcraque Doto,
Amphinomeque, Opiſque celerrima, Dexameneque,
Atque Halie, atque Thoe, & flaventi crine Amathuſa,
Maternumque Thetis nunc primum oblita dolorem,
Necnon Congiſte, dein candida Limnoria,
Et Driope, & virides Botane reſoluta capillos,
Omnes puniceis evinctae crura cothurnis.
Tameſis huc aderant Nymphae, celebrata propinquis
Quaſque Batava tulit tellus, atque educat antris,
Quaeque Caledoniam, atque Hiberni litora ponti,
Atque tuas habitant valles, & amoena vireta,
Albion, adveniunt hilares, flumenque coronant.
Hic inter ſe ſe manibus per mutua iunctis,
Compoſitoque levi motantes corpora ſaltu
In numerum glomerantur; ibi variante reflexu
Nunc pedibus choreas, nunc dulcia carmina texunt,
Carmina, quae curvis in vallibus adſultabant.
Venerat & forma Pallas, iaculiſque decora,
Dique Deaeque omnes, quot purus continet aether:
Ex quibus adſurgit, taleſque Aſtraea profudit
Ore ſonos, praeſes populis Aſtraea regendis,
Cartereti referens divino carmine laudes.

Quid

Quid repetam ingenuis quum iam satis artibus olim
Pieridum, Phoebique indultum, ad grandia mentem
Ipsa tuam studia, ac regnorum iura vocavi?
Et merito: quis enim fuerat te doctior uno
Humanum curare genus: quis dignior alter
Tam vastas aequis moderari legibus urbes?
Non ego ficta loquor, nobis Hibernia testis,
Quae meruit Populos, te Praeside, habere beatos
Dum vigilans recti studium est experta, fidemque;
Namque illam propria te sub ditione regentem
Non tua tangebant, sed tantum publica vota.
Siquid in imperio censeres forte tenendum,
Commoda curabas populi, primusque subibas
Iussa volens; *plebs unde observantissima iuris*
Evadit, nec ferre invito corde recusat,
Quum parere sibi ductorem sentiat ipsum:
Et certe totum componi cernimus orbem
Regis ad exemplum, non sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis.
Dumque tuis regni manibus molitus habenas,
Nullae nobilium caedes iniustaque vulgo
Crimina; non maestus regionem linquere avitam
Cogi-

Cogitur inmerito civis; vectigal avarus
Mite Redemptor habet, nec ad haſtam ſector iniquus
Civiles populatur opes, agroſque licetur;
Non avidus digito, non voce arceſſitur emtor:
Nec tua privatis cumulare aeraria damnis
Mos erat: una fides regnabat pectore, nullo
Emta fides pretio, non te foedantia ſenſus
Munera legitimo poterant ſeducere iure.
Non grave ſignorum pondus, non lina magiſtrâ
Picta manu, non eximiis inſculpta figuris
Vaſa, corinthiaco fulgentia vaſa Metallo,
(Quae veteres etiam fama eſt adamaſſe Quirites)
Non tyriae veſtes, non vultus forma decori
Teque, animumque tuum ſumma integritate reduxit:
Nequicquam triſtes iaciebat ad aſtra querellas
Perfidia, & laceros foede diſperſa capillos
Horrebat diro furiarum vincla veneno;
Sola quidem gladios poterat Clementia triſtes
Frangere: tum caſto viſa eſt adſurgere vultu
Pallas, propitioque Fides deſcendere caelo,
Et placidos inter paſſim diſcurrere cives.
Quid vero tibi nobilius, quid dignius umquam
Adci-

Adcidit, aut ulli potuit contingere Regi,
Quam caecis tantas non delituisse tenebris
Virtutes animi: verum Hibernisque patere
Gentibus, aeternaque extolli ad sidera laude?
Non etenim, quî te facilem, cunctisque benignum
Praebueris repetam: quis te discrimine rerum
Consuluit civis, cui non miserante soleres
Voce, vel humano responsum reddere vultu?
Quis te adiit supplex, teque in sua vota rogavit,
Cui non delapsis tranquille in rebus adesses?
Tu clupeus communis eras, tu certa salutis
Ancora, tu statio placidi tutissima portus.
Hinc seu, te plateae seu tecta superba tenerent,
Ipsa tuum comitabat iter, maria omnia circum
Laetitia, & blando maiestas iuncta lepore.
Nec quemquam invalidus languor, nec debilis aetas
Nec cohibere potis sexus, ne lumina posset,
Ac faciem spectare tuam. Te noscere tamdem
Ardebant puerique simul, iuvenesque, senesque.
Vxor quin etiam, tunc laetabatur, & omnes
Ferre parata libens fetus, curasque, doloresque,
Adspiciens, cui nam valeat progignere natos.

Talia commemorans, media inter verba, repente
Ludentis tenui rapitur modulamine Amoris,
Qui NVPTAE egregium tollebat ad aſtra decorem,
Dulciſono adſtantes oblectans carmine Nymphas,
Haec referens. Quod te laudandi, FEMINA, nobis
Principium, aut qui finis erit? ſi ſtemmata avita
In te ſpectentur, ſtirpis quae gloria? quantis
Ornatum titulis genus eſt? quae fama Parentum?
Nata nec humano tua quondam ſanguine nutrix
Parvas debuerat cunas adtingere; namque
Vbera naſcenti praebebant ſuavibus aurae
In gremiis, Chariteſque tibi adflavere ſorores,
Et primum docuere loqui: quocumque per herbam
Reptares, fluxere roſae; tum lenis acanthus,
Et paſſim e viridi ſurgebant lilia campo:
Quod ſi victa dares pacato mollia ſomno
Corpora, gramineum proſternens herba cubile,
Fulgebat violis: tanta eſt tibi nacta venuſtas,
Traditaque a ſuperis divinae munera formae.
Et certe auguſta qui vultus dignior aula?
Artubus aut proprior facies? non labra roſetis,
Colla nec Alpinis nivibus, violiſve capilli,

Lumi-

Lumina nec flammis ſunt exaequanda coricis:
Queis tibi pro meritis iam ſidera parturitaether,
Lucidaque Arctous molitur ſerta Bootes,
O tradenda Viro, quam tota Britannica Tellvs
Excolet, & cunctas nomen protendet in cas:
Qua vigil Eoa exſurgens Phoebus ab und:
Lucidus ingreditur curru, terraſque ſalutas
Obliquum exorditur iter, nocturnaque clra
Sidera luce fugans radiis inluminat orbem:
Poſtremas & ad uſque plagas ubi maxumu Atlas
Aſtra regit validis humeris, ubi tramite logo
Feſſi Solis equi, gratis merguntur in undis.
Te noſcet Rhodanus, qua ſcindens gurgite campos
In mare fert Ararim, noſcet Gangeticus annis,
Et Colchus, Thraceſque feri, quaque agmna Marſa
Extimuiſſe negat Dacus: nomenque tuamque
Virtutem cognoſcet Iber, forteſque Gelori.

Pluraque iactaret cantu, niſi Mater Amorum
Aethereum linquens ſolium, nitidumque cubile,
Finderet humentem pennis volitantibus auram;
Quam circum parili inceſſu glomerantur ovantes
Vnanimi comites, properantque ex ordine Nymphae.

 Tum

Tum vero nubes toto diſcedere caelo,
Ipſa ſuamquacumque viam Dea flexerat, album
Sternere iter, ſpirare aurae, fremituſque Notorum
Ponere, quaque Venus figit veſtigia, paſſim
Laetari campos, & vernos gignere flores
Tellurem adſpiceres, Zephyroque efflante ſilentes
Motari ramos, venienti & plaudere: namque
Fulget in ambroſio decor inſuperabilis ore,
Auget & illius formam; gemmataque nectit
Vitta comam, teneros quae circumfuſa per armos
Leniter inflexos ſenſim finitur in orbes:
Auras dumque ſecat, tenui bacca Indica pectus
Verberat adplauſu, perſtringit eburnea veſtem
Fibula coccineam, textoque ſubalbicat auro
Corpus, & exili fila inter ſerica veſte
Lacteus apparet veluti cum ſanguine candor:
Sic prope Dardanii ripas Simoëntis, amatum
Ibat ad Anchiſen, Tyrio formoſa colore:
Seu qualis Cretea vagans Europa per arva;
Sive per Aetnaeas errans Proſerpina valles,
Quum Cyane in gelidum fluxit mutata liquorem:
Sic & in ornatu Libyco Sidonia mater

Com-

Comtior, in feſtis ſollemni more diebus,
Cum nuribus Phrygiis multo ſpectabilis auro,
Tyndaris, & ſaevae veniens Tritonidis arcem.
At non diſſimili Genetrix pulcherrima Amorum
Maieſtate gravis, vaſtum deſcendit in aequor,
Qua pelagi domitor naves inſtruxerat ambas,
Egregia inſignes opera; quarum altera Divae
Sacra erat Idaliae gemmis pellucida; cuius
Velamenta lapis garamanticus adſperat, atque
Circumducta micant Erythraeis fila ſmaragdis,
Nec deſunt electra, nec ardentes amethyſti,
Ingenitamque vomens lucem, atque interlitus auro
Chryſolithus, nec non ſapphyrus, & inde pyropus:
Hic quoque beryllus perfunditur ex hyacinthi
Lumine vicino, pulcraque effulget achates
In luce: atque etiam ſtructura inducitur ardens
Chryſopraſus: ſileant, quae Gallia, quaeque Britannvs
Oſtentat Muſea, & tu Florentia: namque
Tot, tamque inſignes fas eſt hîc cernere gazas,
Viſere quas nullo potuerunt tempore, Nerei
Omnia qui adſiduo querunt monumenta labore.
Aſt aliam miro decorabant ordine conchae,

Quas

Quas Indus, Brasilusque exstrema per aequora vectat.
Pars niveo candore vagos imitantur olores,
Pars piceo similes nigrori, parsque virentes
Exaequant herbas: atque hic cognoscere posses
Carmine quot Tusco memorat BELLINIVS, & quot
RVMPHIVS ingenti studio, & GVALTERIVS orbe
Collegit, veluti perfecta volumina pandunt.
Quin cochleae, & plantae variis cernuntur ab oris
Missae, quot, Neptune, tuis nascuntur in undis,
Et quae gignuntur scopulis, ac vallibus imis:
Has Venus alma subit, densa comitante caterva.
Ast alias vastis invectat Nautilus armis,
Nautilus exsuperans procero corpore classeis:
Curva gubernaclo cuius se cauda retorquet,
Quae flectat gracilem placata per aequora cymbam:
Fila tegunt utrumque latus, remosque ministrant;
Nativoque effert viventia carbasa malo,
Vt possit captare Notos, aurasque secundas:
Qui se se quamquam vectorem provehat unum;
Attamen innumeras secum deferre Puellas
Gaudet, & aeratas brevibus praevertere remis
Naves, alitibus levior, Parthique sagittis.

Dein

Dein ſtudio, varioque adſenſu lecta iuventus
Fronde nova redimita comas, myrtoque virenti
Dum fremit, & validos certatim adnixa lacertos
Remigio expediunt alacres, tranſtriſque locati
Exſultant; plauſuque ſonant cava litora nomen
CARTERETI, & SOPHIAE, voxque ingeminata reſultat.
Pars viola, pars caeruleis implexa hyacinthis,
Pars quoque diverſis inpendit tempora ludis.
Piſces quiſque ſuos regit, & vaga lora retorquens,
Huc illuc, varios placido tenet aequore curſus:
Hos Delphinus agens cauda mare verrit in orbem;
Hos vehit immani ludentes corpore Phoca,
Squamoſo fertur Protei grege cetera turba,
Quae amborum laudes canit, & decus inmortale.

Dumque ita fervet opus, nitidum caput abdiderat Sol
Candidus Oceano, & denſiſſima ſideream nox
Extulerat faciem, curis defeſſa diurnis
Tranquilla relevans mortalia membra quiete.
Quum Dea praecelsa conſurgens Cypria puppi,
Sic ait: aequoreae dudum luſere puellae,
Silveſtreſque Deae, ſimul ac Tritonia monſtra:
Barbaricis dudum patuit domus ampla tapetis,

Du-

Dudum regifico ſplendeſcit menſa paratu,
Pocula flaventi fulſerunt eminus auro,
Et modus argento nullus: quas Mentoris arteis
Iactarunt paterae! conceſſit prodiga Regum
Luxuries Aſiae, & ſignis laudata Corinthus,
Aegyptuſque ſuis quamvis elata ſepulcris.
Eia ades, o mea nunc proles, Hymenaee, recenti
Flore caput, roſeaque comas evincte corona.
Tempus adeſt, firmo coëant quo corpora vinclo,
Nec diſiuncta umquam ſint pectora, quae ſuus olim
Devicit Genius, quo tamdem fletibus ulla
Sit requies, gemino & ceſſent ſuſpiria corde.
  Talibus accenſus dictis, ac voce Hymenaeus
Conſurgit ſubito, thalamoſque, & regia laetus
Tecta petit, multa arcano ſub pectore volvens.
Cui ſe ſe comitem Iuno Saturnia iunxit,
Laeta ferens geminis exſtrema papavera palmis,
Quae ſe ſe quali cogantur iungere vinclo
Vir, mulierque ſimul monſtrat; dein qualis ab illis
Quantaque progenies populos auctura Britannos.
Pone ſequebatur cornix, quae felle revulſo
Proiectoque ultra ſacrata altaria Divae,

Vt felix adſit, ſolito de more litanda eſt,
Omne odium innaſcens animo quo expectoret alto,
Nullaque conſtantem turbet violentia mentem:
Proſpera dein blando iactans Thalaſſio vultu
Omina, virginibus cui cingula ſolvere mos eſt,
Ante tuebantur quae nondum tacta pudorem.
Nec non, quae memores curas, tacitumque futuri
Horrorem fetus animo prohibere laborat,
Huc aderat Lucina albis circumdata vittis.

Vix igitur vario completa ſedilia coetu,
Surgit Hymen flavo praecinctus tempora flore,
Ardentemque facem dextra, & rubicunda ſiniſtra
Vela gerens, queis ora viro tribuenda tegebat:
Atque haec voce refert. ſalve generoſa propago
CARTERETE illuſtris, Tuque o dulciſſima CONIVNX,
Exſpectata dies rediit, qua optata paratur
Grata quies, & digna licet qua ferre laborum
Praemia. Vos poſthac tranquilla per otia vitae
Pax regat, aeterno quae animorum candida naſcens,
Foedere, non odio, non diſſolvatur & ira.
Hinc Fatum, ut magis atque magis connubia veſtra
ANGLORUM augerent famam, decrevit, ut ambo

Corporis, atque animi tot dotibus exornati,
(Queis numquam puri dirimantur cordis amoreis)
Curetis ſtudio parvos educere natos,
Qui veſtrum ingenium, moreſque imitentur honeſtos,
Semideiſque queant merito certare vetuſtis:
Atque ita, quum tamdem matura adoleverit aetas,
Conſilioque animoque Parentum exempla ſequuti,
Res tanti fauſto component omine Regni.
O felix iterumque iterumque, Britannia, felix,
Quae tantos patrio in gremio, ac ſuper aſtra celebreis
Excipis Heroas! Rex invictiſſime ſalve,
Cuius in imperio proles pulcherrima creſcet,
Quae teſtis laudum, teſtis virtutis avitae,
Vltima defendet vaſtae confinia terrae:
Roboreque inſolito turmas quaſcumque retundet,
Siqua iniuſſa tuis audebit ſiſtere in oris,
Aut rigido tecum ferro concurrere: namque
Ludus erunt ſpolia huic, teneris adſueſcet ab annis
Aſpera complecti torvum poſt bella Parentem.
Non enſis, galeaeque timebit fulgura; verum
Intrepida ad ſummas protendet brachia criſtas.
Haud lenta indomitam maculabit inertia mentem,

Aut

Aut turpes ullo capiet ſine honore ſopores:
Mollia ſed duro confirmans membra labore,
Et valido teneras exercens munere vires;
Ferre hiemem poterit, gravibuſque obſtare procellis,
Aeſtivoſque pati radios, tranſnare ſonoras
Torrentum furias; adſcenſu vincere terrarum
Ardua, planiciem curſu, & loca concava ſaltu.
Quin etiam Clupeo incumbens criſtata, rigenti
Sub iove producet noctes, galeaque, nivale
Ferre inſtructa gelu, curvato & ſpicula cornu
Tendere: Sicaniis hinc Mulciber arma caminis
Inſtruit, arma quidem natis geſtanda futuris,
Aerataque gravem torquere in caſſide conum
Adcelerat Steropes, nectit thoraca Pyracmon,
Ignifluiſque gemit Lipare fumoſa cavernis.
Huic quoque belligeros Libyca Neptunus arena
Nutrit equos, ut ſumma queant per caerula ponti,
Atque intacta levi percurrere gramina curſu.
At ne mollis adhuc, nimis aſpera munera Martis
Horreat, & lento capiatur pacis amore:
Tum Dea, quae adcenſas bellorum deſpicit iras,
Armigero ſociata Deo, geminum alternabit

Arte opus insolita, semperque adstabit utrique
Istorum lateri vigilans Fortuna, Themisque:
Sortis at audaces haec provida comprimet alas.
Sic olli pelagi spumantes ire per undas
Fas erit humanasque vices, durosque laboreis
Temnere, dum (pontus sileat, tumeatve) secundis
Lintea Sors inflet ventis, Astraea gubernet.
Ingenuas aliis studium renovare per arteis
Cura erit, Elysiis divinam educere campis
Newtonii mentem, tenebrisque occulta sub auras
Promere, & adsidua mentis perdiscere cura;
Cecropio quicquid defluxit Socrate, quicquid
Docta Cleanteae sonuerunt atria turbae:
Porticibus quodcumque tuis Chrysippe docebas,
Vel quicquid risisse olim, Democrite, fortis
Diceris incertae, quot sollers abdita pandit
Pythagoras: homines discent, quae dona beatos
Efficiant, quae norma boni, quis limes honesti,
Quaeque sui vitiis obiectet membra domandis
Virtus, quae resecet pars impia, quaeque timores
Evincat ratione, animique coërceat aestus.
Tentabunt alii superum revocare sub axem

Insi-

Insignes Popae Manes, qui aeterna reliquit
Ingenii monimenta sui, numerisque Camenas
Excoluit, longum queis fama vigebit in aevum.
Illis unanima concordes mente favebunt
Caelicolae, cunctasque dabunt feliciter arteis
Percipere ignotas: tunc aurea saecula current,
Tunc communis erit tellus, tunc limite nullo
Discernetur ager, nec vomere sulcus adunco
Findetur: subitis flavescet culmus aristis.
Mutescet rabiosa fori discordia, linguis
Pulsa catenatis, nec Procurator iniqua
Versabit sub mente dolos: non oppida fossae
Servabunt, non altae arces; per tela, per hostes
Non quaeretur honos, sine pravo militis usu
Dulcia securae captabunt otia gentes.
Denique quum fata excupiant, vos inter inesse
Per plura annorum spatia haud violabile foedus,
Decrerunt, aureisque notarunt talia verbis
Auspicia, ut vigeant, nec longa obliteret aetas,
Quae modo dum repetam; dictis advertite mentes.
Corporis insigni sint maiestate decori,
Qua exoritur tantum sensu percepta voluptas,
Quotidieque alitur, qua corpora dulcior inter
Fit

Fit coitus; ſed quum deſit, properante ſenecta,
Iſtiuſque obitu tenuetur mutuus ardor:
Hinc aliis volumus decoratos omnibus eſſe
Dotibus, unde animi manat ſincera voluptas,
Quae numquam ſenii metuentes tempora, ſervent
Integra perpetuos animorum foedera in annos,
Quantum & corporeo decreſcat amore, rependant.
Haec ubi dicta dedit, feſtiva voce Hymenaeus
Lucentem ſubito, tenuemque evadere coepit
In nebulam, proprium commutans ante colorem:
Iamque haud ulla pedum, manuumve manebat imago
Ante oculos, neque iam caput amplius adparebat
Floribus intextum; aſt animus non fictus in illo
Viſus ineſſe, gradu namque id monſtrabat inerti,
Quo incedens ſenſim noſtris ſe viſibus abdit:
Atque ita conſcendit ſupremam ad vorticis oram,
Caeruleis clarus ſpoliis poſt terga revinctis.
Haud diverſa polo forma eſt, quum caerula Phoebus
Deſerit, humano pellens è corpore ſomnum,
Et craſſas vincit nebulas, varioque nitore
Diſtinguit, pulcroque adpendit ubique tropaeo:
Non ſecus illa latus contingens Iris utrumque
Oblique exoritur non uno picta colore;

Vnde

Vnde arcus, tenebras fit qui protendit in orbe.
Nil ibi deſuetum certe, nec inutile quicquam eſt;
Quin immo hunc ſubito converſum numen in arcum,
Et tali attonitum conſiſtit in aëre viſu.
Interea ſponſis plaudit venientibus, atque
Adſpectu caelum exhilarat, terramque vagantem.
Iris & inſolita iam praedita voce per omneis
Exclamat tractus, Pacis ſunt omina, Pacis.
Sic olim illa potens armis, dum Roma triumphos
Iactaret, fama eſt, ſtudio reſonaſſe faventum
Moenia vulgari: ſpoliis quum Caeſar onuſtus
Eois, victor patrias inviſeret aedeis.
Aſt aliae longo diſcedunt ordine Nymphae,
Queis ſtipatus Hymen regalia tecta ſubivit,
Sollemneſque toros linquunt, & libera utrique
Atria, quo fructus decerpere poſſit amorum.

Iam puer exegi carmen, quod nulla Tonantis
Fulmina, non undae poterunt, non vincere flammae,
Non ferrum, nec cuncta vorans mortalia tempus:
Nam veſtrae virtutis erunt mea carmina teſtes,
Carmina, tantorum quae nomine colluſtrata
Heroum, magis atque magis per ſaecla vigebunt.

FLORENTIAE. ANNO. CIↃ. IↃ. CC. XXXXIV.

BERNARDVS PAPERINIVS EXCVDEBAT.